



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. XXII. De Congregatione pro Indice librorum prohibitorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

Curia presentes, qui omnes more Conciliorum suffragium suum ferunt, & Canonizatio decernitur.

11. Cæterum ex speciali jussu Urbani VIII. mandavit ac præcepit hæc S. Congregatio Anno 1632. 11. Aug. Declarationes, Decreta seu Decisiones sub nomine Congregationis, vel impressas vel imprimendas, vel etiam manuscriptas nullius roboris esse, nec fidem illis in judicio vel extra illud adhibendam, nisi in authenticâ formâ, solito Sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti & Secretarii ejusdem Congregationis munita fuerint. *Barb. in Coll. Bull. V. Congregatio.*

CAPUT XXII.

De Congregatione pro Indice Librorum prohibitorum.

1. Ocasio institutionis hujus Congregationis.
2. A quo & quem in finem erecta sit.
3. & 4. Quæ facultas illi concessa.
5. Qui libri prohibeantur.

6. Qui

6. Qui spectent ad hanc Congregationem, & quod eorum Officium.
7. Inter Consultores primarius est Magister S. Palatii.
8. Eius Officium. Revidet libros, & dat licentiam imprimendi.
9. Atque etiam evulgandi libros.
10. Habet facultatem revidendi libros, qui in urbe venduntur; Dandi etiam potestatem legendi libros prohibitos.
11. Est Concionator Familiæ Pontificiæ.
12. Quando habeatur Congregatio. Omnia gratis & summarie expediuntur.

I.

Cum superiore sæculo Lutherus, alique Hæresiarchæ magno numero, quâ verbis, quâ scriptis virus suum longè lateque diffunderent, inter alia remedia, quibus Summi Ecclesiæ Pastores & Romani Pontifices animarum hanc pestilentiam dispulerunt, fuit institutio Congregationis S. Officii, & inquisitionis, de qua actum est supra cap. 16. & hujus pro Indice librorum prohibitorum, quarum opera, cura & vigilantia perverſæ noxiæque doctrinæ & sententiæ eliminarentur.

Y y 2

2. Ere-

2. Erexit ergo Sixtus V. *Constit.* 74.¹ *Immensa* hanc, de qua hic agimus, Congregationem eum præcipue in finem, ne libri hæresis veneno infecti, aut doctrinâ noxia aspersi imprimantur, & vulgentur.

3. Ideo facultatem illi tribuit librorum ejusmodi Catalogos, & Indices recognoscendi, certorum auctorum libros prohibitos, aut quovis modo in prioribus Indicibus suspensos examinandi, & si judicium suum de illis ad Pontificem retulerint, ejusdem auctoritate rejiciendi, hominum vero injuria & dolo depravatos emendandi, eosque libros, qui paucis erroribus rejectis alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi, indicesque expurgatorios conficiendi, & novos libros sanæ doctrinæ approbandi, & ut imprimantur, potestatem & modum concedendi. *Sixtus V. in cit. Const.* 74.

4. Decidere etiam potest dubia super Indice librorum prohibitorum à Pio IV. confirmato, & à Sixto V. primum, deinde Clemente VIII. aucto, qui habetur in fine Concilii Tridentini. *Clemens VIII. Const.* 36. *Sacrofanctum.*

5. Extendit se vero prohibitio illa non tantum ad libros Orthodoxæ Fidei contrarios, ejusque dogmata oppugnantes, ut perperam quidam existimarunt, sed etiam ad eos, qui mores corrumpunt, pietatem evellunt, & Ecclesiasticam potestatem, libertatemque oppugnant,

6. Congregatio hæc constituitur ex tot Cardinalibus, quot voluerit Pontifex, quorum unus Præses est Congregationis, cum Secretario, qui esse solet Religiosus Ordinis Prædicatorum, & duodecim Consultoribus, qui eliguntur ut plurimum è Religiosis diversorum Ordinum Romæ præsentibus Theologiæ & omnis liberalis doctrinæ bene peritis. Horum Officium est, revidere & examinare libros suspectos, qui inter eos à Secretario distribuuntur, ut deinde judicium suum de iis in plena Congregatione referant.

7. Inter hos Consultores primarius est stabilis Magister S. Palatii, cui antiquitus demandata erat cura libros noxios configendi. Est hic Magister S. Palatii Religiosus Ordinis S. Dominici Ss. Theologiæ Magister, & residet in Palatio Pontificio, censeturque inter aulicos Papæ familiares, & ut verisimile est,



assumptus olim, antequam erigeretur sub Paulo III. Congregatio S. Officii, ut in rebus ad fidem pertinentibus tanquam Consultor Papam informaret, quemadmodum nunc faciunt Theologi, quorum operam ad hoc nonnulli Episcopi, Archi-Episcopi, atque etiam Cardinales adhibere solent.

8. Hoc tempore munus illius est revidere libros in Urbe ejusque districtu imprimendos, cum in eo nulli imprimi possint sine facultate Cardinalis Vicarii, seu ejus Vicesgerentis, quæ non conceditur, nisi sub conditione, ut revisi prius approbentur ab hoc Magistro S. Palatii. Revisio vero fit vel ab ipsomet Magistro, vel ejus Socio, quem habet quasi Vicarium & Adjutorem ex eadem S. Domini Familia Ss. Theologiæ Professore, vel si libri sint alterius facultatis, quam Theologiæ, ab alio aliquo in illis scientiis exculto, ad cujus deinde relationem ipse Magister sub nomine suo, vel Socii licentiam imprimendi impertitur.

9. Præter hanc vero licentiam requiritur & alia, ut postquam impressi sunt libri, evulgari possint, & cum hanc impetrat Typographus, offert Magistro S. Palatii tria exemplaria libri impressi, unum

unum pro ipsomet Magistro, alterum pro ejusdem Socio, & tertium pro D. Vicesgerente.

10. Præterea post institutas Congregationes S. Officii, & hanc, de qua agimus, Indicis librorum prohibitorum, potestatem adhuc retinet revidendi, si velit, libros, qui in Urbe ejusque districtu venduntur, & concedendi Viris probatis & doctis in finem bonum, nimirum pro fidei, vel Sedis Apostolicæ, aut Ecclesiasticæ potestatis servitio & defensione facultatem legendi libros prohibitos, exceptis Caroli Molinæi, Nicolai Macchiavelli operibus, ac libris de Astrologia Judiciaria tractantibus, quorum Concessio S. Pontifici reservatur.

11. Demum Magister S. Palatii stabilis est Concionator Palatii, seu Familiæ Pontificis in Adventu & Quadragesima, quando Conciones haberi solent.

12. Diem statutam, qua convenire soleat, non habet hæc Congregatio, sed convocatur sæpius aut rarius pro negotiorum exigentia, ut plurimum semel in mense. Omnia gratis in ea peraguntur, severissimè prohibetur, ne Concultores Revisoresque quicquam, etiam
sub

sub prætextu magni laboris aut expensarum, quæ faciendæ fortè essent pro revisione, mercedis loco acceptent. Res vero tractantur in ea summarie sine forma judiciali, prout de aliis quibusdam Congregationibus dictum est. *De Luca disc. 19. Rel. Cur. Rom.*

CAPUT XXIII.

De S. Congregatione Examinis Episcoporum.

1. *Gregorius XIV præscripsit formam promovendæ Praesules ad Ecclesias.*
2. *Clemens VIII. examinari eos voluit in Congregatione à se instituta.*
3. *Qui interfunt Congregationi, & ex quibus facultatibus examinent.*
4. *Tres vel quatuor in una Congregatione examinantur.*
5. *Quomodo examen instituat.*
6. *Peracto examine disquiritur an examinatus admittendus, vel rejiciendus sit.*
7. *Qui sint liberi ab hoc examine.*

1. Grego.